

D. Quem successorem in Imperio Orientis habuit *Zeno*?

M. *Zeno* successorem habuit sibi omnino similem, *Flavium Valerium Anastasium*, e Macedoniae Urbe *Dyrrachio* ortum, qui ope *Ariadne* viduae *Zenonis* Imperatoris, cum adhuc in *Silentiariorum* schola militaret, Imperator factus est, & *Ariadnam* duxit uxorem. *Zenonis* decessoris sui *Honoticon* prorsus secutus est *Anastasius* Imp. nihilque contra illud Edictum innovari voluit. Ex Regia Constantinopolitana Urbe ejecit *Euphemium*, deinde *Macedonium* Episcopos Catholicos, *Flavianum* etiam Orthodoxum Antistitem Antiochia expulit, & impium *Severum* Antiochenae Ecclesiae praefecit. Ad obitum usque suum *Eutyriam* Hæresim fovit, & Ecclesias innumeris perturbationibus afflixit, quas *Evagrius* luculenter describit lib. 3. Hist. Eccles. cap. 30. Quapropter, *Anastasius* Reipublicae commodior fuit, quam Ecclesiae. *Longinum* fratrem *Zenonis* Imperatoris tumultuantem vicit, & occidit. Adversus *Isaurorum* gentem bellum feliciter confecit. *Saracenos* & *Perlas* Romani Imperii Provincias depopulatas coegit, ut pacem cum Romanis inirent. *Vitalianum* Thracem Praefectum Provinciarum Septentrionalium nova molientem in ordinem redegit. *Bulgaros*, & *Getas* in Macedonia, cum ferro vincere nequiret, donis, auroque repulit. Demum *Anastasius*, postquam in Oriente imperasset annis 27. duobus mensibus, & diebus viginti novem, inventus est in Cœnaculo mortuus anno *DXVIII.* crediturque ictu fulminis interemptus. Ejus memoria toti Ecclesiae execrabilis fuit, unde illum inter praecipuos Ecclesiae hostes *Nicolaus I.* Summus Pontifex in Epistola ad *Michaelem* Imperatorem numerat: *Cogitate*, inquit, *quid Imperatores, qui persecuti sunt Ecclesiam Dei, & maxime Ecclesiam Romanam, id est Nero, Diocletianus, Constantius, Anastasius, & ceteri moris eorum pertulerunt, & ubi modo sint, attendite diligenter, & quantum sit in Ecclesia Dei execrabilis fama eorum, & nomen detestabile, sapienter advertite.* Sed de Imperatoribus Orientis, qui in quinto Ecclesiae saeculo summa rerum potiti sunt, satis haecenus dictum sit.

D. Quinam fuit status Imperii Occidentis in quinto Ecclesiae saeculo?

M. Post *Honorium Arcadii* fratrem, qui, ut jam diximus, mortuo ejus patre *Theodosio* seniore, imperavit in Occidente annis 27. deploratissimus fuit status Imperii Occidentalis, illudque omnino concidit in quinto Ecclesiae saeculo. *Valentinianus* quippe III. *Constantii* Augusti, & *Placidiae* sororis *Honorii* & *Arcadii* filius, qui anno *cccxxxv.* habenas Imperii Occidentis moderari cepit, Princeps fuit omnibus fere vitiis, crudelitate praefectum, ac libidine inquinatus. Eo imperante, *Vandali* Africam, *Genferico* Duce, occuparunt. *Attila* Hunnorum Rex in Gallias irrupit anno *ccccli.* quem tamen *Valentinianus*, ductu *Aetii* Romani Exercitus Ducis, & cum copiis *Burgundionum*, *Francorum*, *Alemannorum*, & *Gothorum*, in *Campis Catalaunicis*, *Gallice*, *Chalons sur Marne*, devicit. Sed paulo post,

Attila vires, animosque resumens in Italiam irruit, quam saevissime devastavit. *Aquilejam*, *Ticinum*, *Mediolanum*, aliaque *Emiliae*, & *Liguriae* oppida diripuit, donec ipsi ad *Mincium* amnem occurrente *S. Leone* Romano Pontifice, non tantum Romae, sed & universae Provinciae pepercit, & ad suas *Pannonias* reversus est anno *451.* Interim *Valentinianus* Occidentis Imperator, post obitum matris suae *Placidiae* eximia pietatis foeminae, in libidines effusus *Maximi* Senatoris uxorem constupravit, ob quam injuriam percitus ira ille Senator, eamque ulcisci volens, occulte *Valentiniano* Imperatori persuasit, ut *Aetium* Romani Exercitus Ducem rerum gestarum gloria clarissimum per *Sicariorum* insidias interficeret. Plus æquo credulus *Valentinianus*, nec fraudem subodoratus, vanis suspicionibus fidem adhibens, nefarium istud consilium executioni mandavit, & *Aetium* Imperii sui columnam & protectorem manu sua in palatio interemit inconsultissimus Imperator. Tunc *Aetii* milites sui Ducis, quæti impense amabant, necem ulciscuntur morte ipsius *Valentiniani* Imperatoris non sine dolo ejusdem *Maximi* Senatoris, qui protinus Imperium Occidentis occupavit, nuptisque potitus est *Eudoxiae* Augustae *Valentiniani* Imperatoris viduae. At non diu *Maximus* suæ proditionis crimen impune tulit. *Eudoxia* siquidem, quam sibi uxorem duxerat, certa postmodum, *Valentinianum* maritum suum insidiis & opera *Maximi* fuisse occisum, cum esset magni animi foemina, mortem *Valentiniani* ulcisci statuit. Unde *Genfericum* *Vandalorum* Regem in Africa regnantem in Italiam advocat. *Eudoxiae* consiliis facile aurem accommodavit *Genfericus*, oblatamque Italiam, ac Urbis ipsius diripiendae occasionem, ambabus, ut ajunt, manibus arripiens, prope venit in Italiam, quæ ejus inexpectato adventu consternata est. *Maximus* vero terrore percussus, & fugam meditatus laniatur a suis, atque in *Tyberim* demergitur, anno Imperii sui circiter secundo. *Genfericus*, Urbe capta, *Leonis* Pontificis oratione mitigatus, incendio, cædibus, & libidinibus abstinuit, sed omnes res sacras, profanasque Urbis, quæ immentæ erant, quatuordecim dierum direptione abstulit, multa captivorum millia in Africam abduxit, una cum *Eudoxia* Augusta, & ambabus ejus filiabus, quarum unam, videlicet *Eudoxiam* *Hunericum* filio suo conjugem dedit. Alteram vero, seu *Placidiam*, aliquanto post simul cum matre sua *Eudoxia* Augusta Constantinopolim misit. Hæc Romana clades a *Vandalis* illata contigit anno *cccclv.* tuncque defecit Imperii majestas in Occidente. Quamvis enim Imperatoris nomine per aliquot deinceps annos nonnulli in Occidente praesuerint, isti tamen pro illegitimis a plerisque recensentur. Et sane supra Imperii insignia & magni nominis umbram, nihil aliud fere obtulerunt.

D. Breviter expone, quo pacto majestas Imperii defecerit in Occidente, eosque recense, qui ad finem usque quinti Ecclesiae saeculi Occidenti praesuerunt?

M. Ab anno *cccclv.* quo, ut jam diximus, Ma-

Maximus occisus est, & in *Tyberim* projectus, usque ad annum *cccclxxv.* hi, qui Occidenti praesuerunt, vacuum Imperatoris nomen adhuc retinuerunt. Sed anno *cccclxxv.* mortuo *Augustulo*, Imperii quoque nomen penitus in Occidente extinctum est. *Odoacer* siquidem *Turcilingorum* Rex Roma potitus anno *cccclxxvi.* Italiae Regnum instituit. Ut autem plenam status Imperii Occidentalis notitiam habere possis, eos hic recensebo, qui ab anno *cccclv.* usque ad finem quinti Ecclesiae saeculi Occidenti praesuerunt.

Sublato e vivis *Maximo* anno *cccclv.* *Flavius Mecilius Aвитus* Arvernus patria, Senator tamen Romanus, & Galliarum Praetorio praefectus, a Senatu, & Populo Imperator Occidentis electus est, dum Legatum ageret apud *Theodoricum* *Gothorum* Regem anno *cccclv.* sed a *Ricimero* Barbarorum ductore prope *Placentiam* captus, privatam deinceps vitam agere coactus est, postquam imperasset menses decem, & dies octo.

Avito successit *Flavius Julius Majorianus*, qui a *Leone* Orientis Imperatore Magister militum creatus, & ad Occidentis Imperium occupandum missus, prope *Ravennam* Imperator acclamatus est anno *cccclvii.* Imperavit quatuor annis cum dimidio & occisus est anno *cccclxi.* prope *Dertonam*, quæ nunc *Tortona* dicitur in *Liguria* a *Ricimero* militiæ Duce, qui pro suo arbitrio Imperatores creabat, vel deponebat.

Interfecto *Majoriano*, *Libius Severus*, seu *Severianus* e *Lucania* oriundus invasit Occidentis Imperium anno *cccclxi.* sed sublatus est Romæ per venenum a *Ricimero* anno *cccclxiv.* Imperii sui quarto.

Post Interregnum a morte *Severi* duorum annorum, per quod tempus *Ricimerus* universa pro suo nutu in Occidente administrabat, *Anthemius* a *Leone* Imperatore Orientis Romam missus est, factusque Imperator, consentiente *Ricimero* anno *cccclxvii.* *Anthemius* Imperator, ut arctius sibi devinceret *Ricimerum*, filiam suam conjugem ei dedit. Sed non multo post ingratus *Ricimerus* insidias Socero suo struxit, eundemque obsessum Romæ cepit, & occidit anno *cccclxxii.* cum annos quinque, & menses aliquot imperasset.

Post eadem *Anthemii* *Flavius Anicius Olybrius* a *Ricimero* Imperator renunciatus est anno *cccclxxii.* & eodem anno obiit Romæ, dubium proprio ne fato, an violento, Imperii sui mense septimo, aut octavo.

Post *Olybrium*, *Glycerius* Senator Romanus Occidentis Imperator prope *Ravennam* factus est anno *cccclxxiii.* sed postquam imperasset uno anno, & quatuor circiter mensibus, a *Julio Nepote* solio dejectus *Salonas* pulsus est, ac ibidem dicitur fuisse consecratus Episcopus.

Julius Nepos *Nepotiani* filius, pulso, ut mox dixi, *Glycerio*, Purpuram assumpsit anno *cccclxxiv.* sed ab *Oreste* Gotho, cui Exercitus Praefecturam ipse demandaverat, exauctoratus est anno Imperii sui secundo ineunte.

Flavius Momylus Augustulus *Orestis* filius, ex patris auctoritate suffragiis militaribus Raven-

nae factus est Imperator anno *cccclxxv.* Verum, a *Nepotis* factione *Odoacer* *Turcilingorum* Rex, in Italiam vocatus, ingentibus Barbarorum copiis *Orestem* *Ticini* obsedit, cepit, & coram Exercitu ipsum, ejusque fratrem *Paululum* interfecit. *Augustulum* vero filium *Orestis* Imperio cedere coactum, in Castrum *Lucullanum* Campaniae relegavit, anno primo Imperii necdum expleto. In hoc *Augustulo* Imperii nomen fuit in Occidente prorsus abolitum anno *cccclxxvi.* *Cos. Fl. Basilio II. & Armato*, utroque in Oriente creato. Sic enim habet *Marcellinus* in *Chronico* sub hujus anni Consulibus. *Hesperium Romanæ Gentis Imperium, quod septingentesimo Urbis conditæ anno primus Augustorum Octavianus Augustus tenere cepit, cum hoc Augustulo perit.*

D. Jam observasti, *Odoacrum* *Turcilingorum* Regem Roma potitum, Italiae Regnum instituisse anno *cccclxxvi.* sed nondum exposuisti; quomodo, & quandiu in Italia regnaverit *Odoacer*.

M. *Odoacer*, Italia subjugata, typho superbiae non intumuit, sed potius summa, qua pollebat, potestate modestissime usus, titulum Imperatoris suscipere detrectavit, nec alio, quam Regis nomine donari voluit. Regnum *Rugorum* in *Germania* penitus extinxit, & quamvis *Arianus* esset, nihil tamen in Religione innovavit. Regnavit septemdecim annis, sed anno Regni ipsius decimo quarto, seu anno Christi *cccclxxxix.* *Theodoricus* *Gothorum* Rex, hortatu *Zenonis* Imperatoris Orientis, Italiam ingressus *Odoacrum* triplici conflictu superatum *Ravennam* fugere compulit, & post triennii obsidionem fraudulenta pacatione delusum, ut scilicet ambo communi auctoritate Italiam regerent, illum specie pacis ad convivium adhibitum *Theodoricus* interfecit Anno *cccclxiii.* quo iniiit *Ostrogothorum* in Italia Regnum, fixa *Ravennæ* Regia Sede.

Theodoricus itaque *Gothorum* Rex, occiso *Odoacro*, solus in Italia regnavit, & quamvis *Arianæ* Hæresi addictus esset, Ecclesiae tamen *Jura* facta tecta conservavit. Schisma in electione *Symmachi* Romani Pontificis ortum auctoritate sua compescuit. Juris, & æqui fuit observantissimus, eumque multis laudibus efferunt *Cassiodorus*, & *Ennodius* *Ticinenis*. At *Theodoricus* præclara Regni sui initia turpiter foedavit non solum morte *Boetii*, & *Symmachi* integerrimorum Senatorum, quos gladio sustulit, sed morte *Joannis* Romani Pontificis, quem in carcerem detruxit, ubi pædore, & fame interiit. Regnavit *Theodoricus* solus in Italia ab anno *cccclxiii.* usque ad annum *dxvii.* Et hæc sunt, quæ pertinent ad statum Imperii cum Orientis, tum Occidentis in quinto Ecclesiae saeculo, in quo permulta factæ sunt Regnorum permutationes, & exordia, *Francorum* videlicet, & *Burgundionum* in Gallias, *Visigothorum* in Hispanias, *Ostrogothorum* in Italia; *Anglorum* in Britannia Insula, *Vandalorum* in Africa (a).

(a) Et hic pariter juvat oculos convertere ad *Chronicon* in superiori nota indicatum.

„ *Basilio Jun. VI. Cos. (an. 480.) occiditur*

„ *Nepos Imp. VII. Id. Majas. Fausto unico Cos.*
 „ (an. 490.) *ingressus est Rex Theodoricus in*
 „ *Fossato Pontis Sontis V. Kal. Septembris; & fu-*
 „ *git Odoacer, Rex de Fossato, & abiit in Vero-*
 „ *nam. Eo anno ingressus est Odoacer Rex Fos-*
 „ *satum Erulis in Pinita, & occisus est Libila*
 „ *Mag. milit.; & ceciderunt populi de utraque*
 „ *parte, & clausit se Ravenna Odoacer Rex VI.*
 „ *Id. Jul. Et regressus est Rex Theodoricus in Ti-*
 „ *rico XI. Kal. Septembr.*

„ *Albino unico Cos. (an. 493.) regressus est*
 „ *Rex Theodoricus Ariminum; & venit cum Dra-*
 „ *monē ad Fossatum Palatioli IV. Kal. Septem-*
 „ *bris. Eo anno pugna facta est inter Theodoricum*
 „ *Regem & Eufanem Mag. militum inter Triden-*
 „ *tum & Veronam.*

„ *Hoc Consule facta est pax inter Dom. Theodo-*
 „ *ricum Regem & Odoacrem III. Kal. Martii,*
 „ *& ingressus est Dom. Theodoricus in Classem.*

„ *Hoc Consule ingressus est Ravennam Rex*
 „ *Theodoricus III. Nonas Martii, & occisus est*
 „ *Odoacer Rex a Rege Theodorico in palatio cum*
 „ *commilitibus suis.*

„ *Hic Chronicon definit.*

„ *D. In variis istis Regnorum permutationibus,*
 „ *& exordiis, fuitne tranquillitas Ecclesie status,*
 „ *vel persecutionibus exagitatus?*

„ *M. Nullis generalibus, sed privatis dumtaxat*
 „ *persecutionibus Ecclesia in quinto seculo exagita-*
 „ *ta fuit. Isidigerdes Persarum Rex, quem, ut di-*
 „ *ximus, Arcadius Imperator moriens filii sui Theo-*
 „ *dosii junioris tutorem instituerat, anno decimo*
 „ *quarto Regni sui, hoc est, anno ccccxiv. adver-*
 „ *sus Christianos Regni sui persecutionem movit.*
 „ *Persecutionis porro ab eo suscitata, sicut scribit*
 „ *Agathias lib. 4. causam dedit Abdias Regis Per-*
 „ *sidis Episcopus, qui divino quidem zelo motus,*
 „ *at non ex rationis norma usus, Templum Igni*
 „ *consecratum succendit. Eo cognito, Rex ecclesias*
 „ *per totam Persidis Regionem Ecclesias everti*
 „ *justit, Abdiam autem diversis afflixit tormentis.*
 „ *In qua persecutione, quae ad quintum usque an-*
 „ *num propagata est, plures, immo innumeri Mar-*
 „ *tyres declarati sunt. Latentes siquidem Christia-*
 „ *nos per Urbes, & vicos Magi venatorum more*
 „ *inlequebantur. Hac Isidigerdis persecutio adver-*
 „ *sus Christianos mota, in ipsius morte, quae con-*
 „ *tingit anno ccccxx. non cessavit, sed mortuus Isi-*
 „ *digerde Persarum Rege, Vararanes ejus filius per-*
 „ *secutionem in Christianos continuavit. Martyrum*
 „ *in hac persecutione Persica, quae ab anno*
 „ *cccciv. usque ad annum ccccxliv. arsit, Acta*
 „ *non extant; eorum tamen in Auctoribus, qui*
 „ *hoc saeculo scripserunt, quaedam supersunt vesti-*
 „ *gia. De hac persecutione legendi sunt Socrates*
 „ *lib. 7. Hist. Eccl. cap. 18. & Theodoretus lib.*
 „ *5. Hist. Eccl. cap. 39. (a).*

„ *(a) De Persica sub Isidigerde rege perfec-*
 „ *tione certiora tradit Cl. Assemanus Biblioth.*
 „ *Oriental. tom. I. pag. 182. animadvertens mi-*
 „ *nime inter se coherere veteres Graecos scripto-*
 „ *res circa exordia persecutionis illius; nam*
 „ *Theodoretus lib. V. cap. 39. ceptam ait occa-*
 „ *sione incensae Pyrae ab Abdia seu Abda Susa-*

„ *rum Episcopo, Isidigerde regnante; idem quo-*
 „ *que affirmat Theophanes in Chronographia &*
 „ *auctor vitae S. Euthymii Abbatis, Cyrillus Scy-*
 „ *thopolitanus; Socrates vero lib. VII. cap. 18.*
 „ *affirmat Isidigerdem nulla molestia affecisse*
 „ *Christianos in Perside degentes, quod & tradit*
 „ *Agathias Scholasticus lib. IV. ac Dionysius Ja-*
 „ *cobitarum Patriarcha in suo Chronico apud*
 „ *eundem Assemanum, quatenus scribit excita-*
 „ *tam fuisse in Perside adversus Christianos per-*
 „ *secutionem an. 732. qui Christi est 421. quo*
 „ *& Vararanes Isidigerdis successores cepit. Hoc*
 „ *stante dissidio suspicatur Assemanus Isidigerdem*
 „ *quidem acerbè insectari Christianos coepisse, ea,*
 „ *de qua supra, occasione, sed eum motum tan-*
 „ *dem quievisse usque ad mortem Isidigerdis.*
 „ *Eo defuncto Vararanes ejus filius iterum in*
 „ *Christianos saevire coepisse. Ceterum de mar-*
 „ *tyribus passis sub Vararane pauca extare idem*
 „ *Assemanus agnoscit, & habere se tantummodo*
 „ *in suis codicibus acta gemina testatur, nempe*
 „ *Mahar-Saporis anno Vararanis secundo necati,*
 „ *& S. Jacobi Intercisi. Quin & in Scetenſi*
 „ *Syrorum Monasterio visa a se acta Abdiae, seu,*
 „ *ut ipse legit, Abdiae illius, de quo supra testa-*
 „ *tur. Addit S. Jacobi Intercisi martyrium in*
 „ *Chronico Marutae consignatum scribi an. 733.*
 „ *idest Christi 421. die 27. Tesri posterioris*
 „ *(idest Novembris) feria sexta, ex quo intel-*
 „ *ligimus celebrem hunc Martyrem primo Vara-*
 „ *ranis anno, ut ibi notatur, martyrium consum-*
 „ *masse.*

„ *Alia, sed atrociori persecutione Gensericus A-*
 „ *rianus Vandalorum Rex Ecclesiam in Africa ve-*
 „ *xavit anno ccccxxvii. ut fufe Baronius profes-*
 „ *quitur ex Prospero in Chronico & ex Epistola*
 „ *Antonini Constantinae Civitatis Episcopi ad Ar-*
 „ *cadium quemdam a Genserico in exilium missum,*
 „ *quam integram refert doctissimus P. Ruinart in*
 „ *Historia de persecutione Vandolica. Suspensus*
 „ *est Baronius hanc Epistolam Antonini Constanti-*
 „ *nienſis Episcopi diversam esse ab Epistola, quae a*
 „ *Gennadio tribuitur Honorato Constantienſi Epi-*
 „ *scopo. Sed Honoratum, & Antoninum Constanti-*
 „ *nienſem Episcopum, unum & eundem fuisse, qui*
 „ *Antonius Honoratus appellabatur, consentiunt Cl.*
 „ *Scriptores Ruinart, & Pagius, alique viri erudi-*
 „ *ti. In hac Genserici persecutione Ariani Basili-*
 „ *cas in Africa sibi vindicarunt, Ecclesiarum opes*
 „ *diripuerunt, tantoque furore in Catholicos debac-*
 „ *chati sunt, ut Victor Episcopus Vitenſis cap. 13.*
 „ *lib. 1. de Persecutione Vandolica testetur, illos*
 „ *Hæreticos irruiſſe in Catholicos, dum Paschalem*
 „ *solemnitatem peragebant, eosdemque incendisse,*
 „ *alios evaginatim ensibus in Ecclesiam introiſſe,*
 „ *alios tecta occupasse, & per fenestras Ecclesiae fa-*
 „ *gittas emisſe, quarum una Lector, dum in pul-*
 „ *pito Alleluja cantaret, in gutture transfixus est.*
 „ *S. Isidorus in Historia Vandalorum de Genserico*
 „ *eorum Rege sic loquitur: Siciliam deprædatus Pa-*
 „ *normum obsedit, Arianam pestilentiam per to-*
 „ *tam Africam intromisit, Sacerdotes Ecclesie pel-*
 „ *lit, Martyres plurimos efficit, & juxta Prophe-*
 „ *tiam Danielis, demeratis mysteriis Sanctorum*
 „ *Eccle-*

„ *Ecclesias Christi hostibus tradidit, nec jam divini*
 „ *cultus loca, sed suorum esse habitacula jussit.*
 „ *Quin, & tredecim Provincias recenset Victor*
 „ *Vitenſis cap. 17. libri mox a me laudati, quas*
 „ *Gensericus in hac persecutione afflixit. Quae vero,*
 „ *inquit, in Hispania, in Italia, Dalmatia, Cam-*
 „ *pania, Calabria, Apulia, Sicilia, Sardinia, Bru-*
 „ *tis, Venetia, Lucania, Epiru veteri, vel Hellada*
 „ *gesserit, melius ibi ipsi, qui passi sunt, miserabili-*
 „ *ter lugendo narrabunt. Hujus Vandalicæ percution-*
 „ *is, quae sub Genserico Rege saevit in Africa,*
 „ *barbariam Possidius in vita S. Augustini cap. 28.*
 „ *describit his verbis: Omni saeviens crudelitate, &*
 „ *atrocitate, cuncta quae potuit, expoliatione, cedibus,*
 „ *aliisque innumerabilibus, & infandis malis depopu-*
 „ *lata est, nulli sexui, nulli parvæ ætati, nec ipsi*
 „ *Dei Sacerdotibus, & Ministris, nec ipsi Ecclesia-*
 „ *rum ornamentis, vel edificiis, Ecclesias Sacerdoti-*
 „ *bis, ac Ministris destitutas, Virginesque sacras,*
 „ *& quosque continentes ubique dissipatos, in his alios*
 „ *defecisse tormentis, alios in captivitate parviti ani-*
 „ *mi, & corporis integritate, ac fidei, malo more*
 „ *& dura hostibus deservire. Hymnos, & laudes de*
 „ *Ecclesiis deperuisse, & edificia Ecclesiarum quam*
 „ *plurimis in locis ignibus concremata esse: Solemnia*
 „ *quoque, quae Deo debentur, de propriis locis defe-*
 „ *cisse: Sacrificia ac Sacramenta divina, vel non*
 „ *quæri, vel querenti, qui tradat, non facile repe-*
 „ *ri: Ipsosque Ecclesiarum Praepositos, & Clericos,*
 „ *qui forte Dei beneficio, vel in eos non incurrerant,*
 „ *vel incurrentes evaserant, rebus omnibus expolia-*
 „ *tos, atque nudatos, egentissimos mendicare, nec*
 „ *eis omnibus ad omnia, quibus fulciendi essent,*
 „ *subveniri posse &c. Gensericus regnavit in Africa*
 „ *annos 37. obiitque anno 477. Ei successit filius*
 „ *ejus Hunnericus Ariana itidem Hæresi infectus,*
 „ *qui tamen, ut scribit sæpe citatus Victor Viten-*
 „ *ſis lib. 2. mitius & moderatius exordio Regni*
 „ *sui egit in Catholicos. Verum, postquam per*
 „ *quinque priores Regni sui annos in Manichæos,*
 „ *& in suos Arianos saevisset, tandem sub finem*
 „ *anni sexti Regni sui suum in Catholicos con-*
 „ *vertit furorem. Duo quippe feralia Edicta ad-*
 „ *versus ipsos promulgavit, quibus Catholicam Re-*
 „ *ligionem opprimere, & suam Arianam sectam*
 „ *latius propagare molitus est. Tunc enim im-*
 „ *pius ille Rex Hunnericus, sicut scribit sæpe ci-*
 „ *tatus Victor Vitenſis, qui quinque edidit libros,*
 „ *in quibus lugubrem Africanæ Ecclesiae illis tem-*
 „ *poribus faciem adumbravit, omnes Catholicorum*
 „ *conventus interdixit, eorum Ecclesias occludi jus-*
 „ *sit, opes eorum omnes partim sub fisco, partim*
 „ *Episcopis Arianis, eorumque Ecclesiis addi-*
 „ *xit, Orthodoxis ad summam rerum omnium*
 „ *penuriam redactis, Hospitium, Cibaria, atque*
 „ *vestimenta sub gravibus pœnis suppeditari prohi-*
 „ *buit, adeo ut innumeri sub dio, aut in deser-*
 „ *tis, fame, siti, & frigore interierint. Hac in*
 „ *persecutione diris cruciatibus, & cadibus in o-*
 „ *mnes Catholicos crudeliter saevitum est. Episco-*
 „ *porum supra ducentorum triginta defectiones,*
 „ *proscriptiones, exilia, mortes. Venerabiles Chri-*
 „ *sti Sacerdotes, ac Ministri, & Monachi, omnes*
 „ *denique ætatis, sexus, & conditionis homines ve-*

„ *xati, torti, mutilati, carceribus non tam inclusi,*
 „ *quam catervatim congesti, & ipsis in fordibus*
 „ *quasi sepulti miserabilia trahentes non tam corpo-*
 „ *ra, quam cadavera. Refert etiam Procopius lib. 1.*
 „ *de Bello Vandalico cap. 8. complures Catholicos*
 „ *linguis hac in persecutione radicitus excisis,*
 „ *perfecte, distincteque fuisse locutos: Christianos*
 „ *Africae, inquit, tam crudeliter, tamque in-*
 „ *juste nemo vexavit, quam Hunnericus. Cum enim*
 „ *illos ad Sectam Arianam compelleret, quoscumque*
 „ *parum ad hoc sequendum promptos deprehendebat,*
 „ *igne, aliisque suppliciis excruciatos necabat. Multis*
 „ *linguam faucium tenuis abscidit, qui etiam nostra*
 „ *æate superstites Byzantii explanate loquebantur,*
 „ *nullum capientes sensum illius pœne. Ex his duo-*
 „ *rum habere ausi cum meretricibus sermone usum*
 „ *amiserunt. Denique, postquam hæc persecutio duo-*
 „ *bus annis integris, videlicet toto anno septimo*
 „ *cum parte sexti & octavi anni Regni Hunnerici*
 „ *perdurasset, mortuus tandem est impius ille Rex*
 „ *anno Regni sui octavo nondum expleto, seu an-*
 „ *no ccccxxxiv. eique successit Guntabundus, quem*
 „ *anno tertio Regni sui Catholicis saevisse colligi-*
 „ *tur ex Auctore fragmenti Augustini ab Henrico*
 „ *Canisto publicati, qui de Guntabundo Vandalorum*
 „ *Rege hæc narrat: Guntabundus tertio anno Re-*
 „ *gni Cœmeterium Sancti Martyris Agilei apud Car-*
 „ *thaginem Catholicis dari præcepit, Eugenio Car-*
 „ *thaginensi Episcopo jam de exilio revocato. De-*
 „ *cimo autem anno Regni sui Ecclesias Catholicorum*
 „ *aperuit, & omnes Dei Sacerdotes, petente Eugenio*
 „ *Carthaginensi Episcopo de exilio revocati sunt.*
 „ *Ex quo fragmento liquet, Guntabundum tertio*
 „ *saltem Regni sui anno Catholicis saevisse, immo*
 „ *& ipsum Eugenum Carthaginensem Episcopum*
 „ *ei fuisse acceptissimum, & ex eo colligitur, quod*
 „ *ipsum longe ante ceteros Catholicos Episcopos*
 „ *ab exilio revocaverit, ac postmodum ipsius pre-*
 „ *dictis ceteris quoque Orthodoxis Episcopis, post*
 „ *restitutis illis Ecclesiis, redire permisit in suas*
 „ *Sedes. Hinc tamen, ut optime observat doctissi-*
 „ *mus P. Ruinart, inferre non licet, prioribus Con-*
 „ *tabundi Regni annis persecutionem in Africa ces-*
 „ *sasse, quam jam inchoatam Guntabundum saltem*
 „ *permisisse multo veri similis est. Quæ licen-*
 „ *tia Arianis furentibus ad multa audendum suf-*
 „ *ficiebat. Immo, cum Ecclesiae Catholicorum*
 „ *non fuerint aperta ante annum decimum Regni*
 „ *Guntabundi, ut ex laudato fragmento ostendi-*
 „ *mus, credibile est, toto hoc temporis inter-*
 „ *vallo Catholicos ab Arianis pessime habitos fuis-*
 „ *se, ac multa, gravioraque ab illis pertulisse in-*
 „ *commoda, maxime cum Victor Vitenſis lib. 5.*
 „ *de Persecutione Vandolica num. XI. testetur, A-*
 „ *rianos crudeli Rege Hunnerico crudeliores fuis-*
 „ *se: Crudelius, inquit, Arianorum Episcopi,*
 „ *Presbyteri, & Clerici, quam Rex, & Vandali se-*
 „ *viebant.*

„ *D. Ecclesia his persecutionibus vexata, & in*
 „ *tot Regnorum permutationibus, quæ quinto sæ-*
 „ *culo contigerunt, suscepit ne aliquod incremen-*
 „ *tum?*

„ *M. Haud parvum incrementum suscepit Eccle-*
 „ *sia in quinto saeculo per conversionem Clo-*

dovei Galliarum Regis, qui post victoriam, quam retulit de Alemannis anno ccccxcvi. baptizatus fuit die Natali Domini ejusdem anni a S. Remigio Episcopo Remensi, ut testatur *Avitus* Episcopus Viennensis in Epistola ad eundem Clodoveum scripta, in qua hæc habet: *Gaudeat ergo quidem Gracia, habere se Principem legis nostræ, sed non jam, que tanto muneris dono sola mereatur illustrari. Siquidem & occiduis partibus in Rege non novo, novi jubaris lumen esfulgurat, cujus splendore congrue Redemptoris nostri Nativitas inchoavit, ut consequenter eo die ad salutem regenerari ex unda vos pareat, quo natum Redemptionis sue Cæli Dominum Mundus accepit. Tria millia hominum de Exercitu Clodovei Galliarum Regis Baptismum suscepisse ait S. Gregorius Turonensis, sex vero millia *Fredegarius* in Epitome, quos *Hincmarus* in vita S. Remigii sic conciliat: *Baptizantur, inquit, de Exercitu Clodovei tria millia virorum, exceptis parvulis & mulieribus: Eadem die, qua Clodoveus baptizatus est, Albofedis ejus soror baptizata est, conversa est etiam & alia soror ejus Lantechildis nomine, que in Hæresim Arianorum dilapsa fuerat, que confessa æqualem Filium Patri, & Spiritum Sanctum, christmata est. Anastasius Papa, ubi accepit Clodoveum Francorum Regem sacro Baptismatis fonte fuisse regeneratum, statim gratulatorias ei litteras per *Eumerium* Presbyterum misit, quas *Dacberius* doctissimus *Benedictinus* in Spicilegio publicavit, in quibus Summus Pontifex sic ait: *Tuum, gloriose Fili, in Christiana fide cum exordio nostro in Pontificatu contigisse gloriamur. Quippe Sedes Petri in tanta occasione non potest non letari, cum plenitudinem Gentium intuetur ad eam veloci gradu concurrere, & per temporum spatia expleri sigenam, quam in altum jussus est mittere idem Piscator hominum, & Cælestis Hierusalem beatus Claviger &c. Sed hæc sufficiant de statu Ecclesiæ in quinto sæculo.***

COLLOQUIUM I.

De Hæresibus, que Ecclesiam in quinto sæculo infestant, ejusque sinum lacerant.

D. Quenam sunt Hæreses, que Ecclesiam in quinto sæculo exagitarunt?

M. Quatuor præcipue Hæreses in quinto Ecclesiæ sæculo emerferunt, videlicet Pelagianorum, Semipelagianorum, Nestorianorum, & Eutychnorum. Auctor Pelagianorum Hæresis fuit *Pelagius* e Britannia oriundus, Monachus quidem, sed nullis sacris Ecclesiæ dignitatibus insignitus. Unde *Zosimus* Papa in Epistola ad *Aurelium* Primate Carthaginensem, & *Astros* Episcopos, eum vocat *laicum*, quia Monachi id temporis ad Sacros Ordines non promoti inter laicos recensentur. Pelagii Hæresis prælusit *Origenes*, *Theodorus Mopsuestenus*, & *Rufinus* Aquilejensis Presbyter, qui postremus Romam sub Pontificatu *Anastasio*, hoc est, sub finem quarti sæculi veniens, Pelagio Romæ degenti suos errores affricuit. Constat siquidem Pelagium Romæ diu moratum esse, eumque, ante *Rufini* Aquilejensis Presbyteri

in hanc Civitatem appulsam, Romæ integrum famæ, & purum suspitionis fuisse, immo Sanctum audisse, & a viris pietate eximiis Hieronymo, Paulino Nolano aliisque dilectum tanquam virum non parvo profectu Christianum, ut inquit S. Augustinus de peccatorum meritis, & remissione cap. 1. & 2. At *Rufinus*, teste *Mario Mercatore* in præfatione libri subnotationum, Pelagium Romæ decepit, eumque ad prædicationem apprimè imbuivit, atque instituit vanitatem. Pelagius errores, quos imbiberat, aliis instillare volens, edidit Romæ brevissimos in S. Pauli Epistolas Commentarios, quos ipsissimos illos esse, qui libris S. Hieronymi vulgo adjungi solent, egregie probat Eminentissimus *Norisus* in sua Historia Pelagiana.

D. Quos errores disseminavit Pelagius?

M. Errores, quos disseminavit Pelagius ad tres classes revocari possunt. Primo, negabat peccatum originale, & parvulos decedentes sine Baptismo æternæ damnationi esse obnoxios. Secundo, asserbat hominem sine ope gratiæ, per solam naturam, ingentisque liberi arbitrii vires quodcumque bonum opus elicere posse, & gratiam dari intuitu meritorum. Tertio, docebat, hominem solis liberi arbitrii viribus ad eum perfectionis statum asurgere posse, in quo impeccabilis esset, & haberet ἀνάγκην, seu passionum impassibilitatem, sicut olim inepte fingebant Philosophi Stoici. Sunt nonnulli Theologi, qui Pelagii Hæresim in quatuor dividunt status. Primum vocant *Ebriocismum*, in quo solum naturam, & meras liberi arbitrii vires admittit Pelagius. Alterum appellant *Semicbriocismum*, in quo gratiæ nomen, naturæ & libero arbitrio tribuit Pelagius, quia ea a Deo beneficia accepimus. Tertium nuncupant *Judaismum*, in quo Pelagius gratiam in lege, & doctrina constituit. Quartum denique statum appellant *Semicbriocismum*, in quo Pelagius gratiam voluntatis, & actionis factus quidem est, sed non sine errore.

D. Habuitne Pelagius aliquos ad suam propagandam Hæresim Discipulos?

M. Pelagius vehementibus suis, atque ardentibus adhortationibus, ut ait S. Augustinus c. 25. libri de Gestis Pelagii, multos, sed Cælestium in primis Auditorialem Scholasticum Romæ eo infecit errore, quem ipse a *Rufino* acceperat. Huic Pelagio adhaesit Cælestius (inquit *Marius Mercator* in Commonitorio cap. 4.) nobilis natu quidem, & illius temporis Auditorialis Scholasticus, sed nature vitio Eunuchus matris utero editus. Ex quibus *Marii Mercatoris* verbis colligitur, Cælestium Pelagii discipulum, cujus patria parum nota est, e nobili genere fuisse prognatum, Auditorium Scholasticum, id est, Advocatum publicarum causarum, Ecclesiarum, & Civitatum; eumque naturæ vitio Eunuchum fuisse. Cum hoc Cælestio Pelagius anno ccccviii. aut ccccix. Romam in Siciliam sese recepit, ubi suam sparset Hæresim, dum Gothi Italiam depopularentur, Romamque semel, & iterum obsidione cingerent. Biennium Syraculis in Sicilia, aut etiam triennium ferme potuerunt Pelagius & Cælestius. Deinde venerunt in Africam,

Africam, ubi Pelagius relicto Cælestio, post brevem moram Carthagine solvit in Palæstinam. Cælestius, cum Carthagine esset, ad Presbyteratus ordinem promoveri tentavit, sed frustra. Ei quippe obstiterunt fideles Clerici, unusque omnium nomine *Paulinus* Ecclesiæ olim Mediolanensis Diaconus, qui libellam obtulit *Aurelio* Carthaginensi Episcopo, in quo Cælestium multorum errorum infamulavit. Quare *Aurelius* totius Africæ primas Concilium Carthaginense an. ccccxi. convocavit, cui multi interfuere Episcopi, non tamen S. Augustinus, ut ipsemet testatur lib. 2. Retractionum cap. 35. Comparuit in hoc Concilio Cælestius, adversus quem stetit *Paulinus* Diaconus, qui septem erroris Capitula ei objecit. Primo, quod diceret: *Adamum mortalem esse factum qui sine peccaret, sine non peccaret, moriturus fuisset.* Secundo, quod peccatum *Adæ* ipsum solum levis, & non genus humanum. Tertio, quod parvuli, qui nascuntur, in eo statu sunt, in quo *Adam* fuit ante prævaricationem. Quarto, quod neque per mortem, vel prævaricationem *Adæ* omne genus hominum moriatur, neque per Resurrectionem Christi omne hominum genus resurgat. Quinto, quod lex sic mittit ad Regnum Cælorum, quomodo & Evangelium. Sexto, quod & ante adventum Domini fuerunt homines impeccabiles, id est, sine peccato. Septimo quod Infantes, etiamsi non baptizentur, habeant vitam æternam. Porro, Cælestius ad capitulum secundum, & ad tertium sic respondit, ut ea neque confiteri ausus sit, neque etiam inficias ire voluerit, sed ejusmodi quæstiones utramque in partem ventilari posse dixerit. Addidit tamen, se semper asseruisse infantes egerere Baptismo. Patres Concilii Carthaginensis, ubi Cælestium audivissent, eum damnaverunt, & anathemate perculerunt. Ipse tamen ad Sedem Apostolicam appellavit, ut latam contra se sententiam declinaret, & ne, uti Hæreticus, palam traduceretur. Verum, cum suæ causæ diffideret Cælestius, appellatione neglecta, Ephesum Asiæ Urbem mox contendit, ibique ausus est per obreptionem locum Presbyterii perere. Multos Ephesi suam edocuit Hæresim, quorum ope vicinas Insulas infecit, sed *Rhodum* maxime, sicut scribit S. Hieronymus lib. 4. in Hieremiam. Cum igitur Cælestius Pelagianam Hæresim latissime propagaret, hujus Sectæ homines dicti sunt etiam *Cælestiani*. Interim Pelagius in Palæstinam, ut diximus, profectus, sibi Hierosolymam, perinde ac in aliis Palæstinæ locis Discipulos adscivit, gratiamque aucupari cepit *Joannis* Hierosolymitani Episcopi, qui illum benigne excepit, quod adversus S. Hieronymum, quocum simulates gerebat, opportuno præsidio sibi futurus videretur. Cælestius, conciliata sibi *Joannis* Hierosolymitani Episcopi benevolentia, cristas erexit, eoque temeritatis prorupit, ut Sanctum Hieronymum, cujus Commentarios in Epistolam S. Pauli ad Ephesios carpere ausus est, ad certamen provocarit. Sed ei male cessit martis alea, nam S. Hieronymus, & S. Augustinus in illum calamum strinxerunt, ejusque errores tam solide confutarunt, ut victus, ac prostratus fuerit Pelagius. Patrocinium

quoque *Joannis* Episcopi Hierosolymitani, quo ille Hæreticus gloriabatur, inutile profus reddidit *Orosius* insignis Presbyter, qui ex Hispania, unde oriundus erat, in Africam, dein in Palæstinam veniens anno ccccxv. declaravit, Cælestium a Concilio Carthaginensi anno ccccxi. fuisse damnatum, & Pelagii errores ab Augustino, & Hieronymo profligatos esse. *Joannes* Episcopus Hierosolymitanus, ad cujus obsequia, salutationis causa, acceperat *Orosius*, conventum habuit Presbyterorum, in quem non solum introduxit *Orosium*, sed etiam Pelagium, quem licet laicum, & in crimine Hæreseos deprehensum inter Presbyteros sedere jussit. *Orosius* Latine, *Joannes* Episcopus Hierosolymitanus Græce loquebantur, sic ut uterque Interprete opus haberet, neuter neutrum intelligeret. Institit tamen *Joannes* *Orosio*, ut ageret accusatorem, seque tunc Judicem acturum. At *Orosius* nolens, ut *Joannes*, qui Pelagio haud parum favebat, Judex & Arbitrator in hac causa federet, palam professus est *Joannem* Judicem minus idoneum videri, Pelagium latinum esse, & se itidem latinum, ac subinde Pelagii Hæresim latinis partibus magis notam, ejusdemque linguæ Judicibus esse reservandam. Quibus permotus *Joannes* Episcopus Hierosolymitanus, sicut testatur ipsemet *Orosius* in sua Apologia, novissimam sententiam protulit, confirmans postulationem, intentionemque nostram, ut ad *Beatum Innocentium* Papam Romanum Fratres, & Epistole mitterentur, universi quod ille decerneret, secuturi. Sed ut Hæreticus Pelagius imposito sibi eatenus silentio conticesceret, & ut nostri ab insultatione convicti *Joannis* confusique temperarent. Universi in hanc sententiam consensimus, gratiarum actione celebrata, pace facta, & consummata ad pacis testimonium oratione discessimus.

Non multo post hunc Conventum Hierosolymitanum Pelagius Hæreseos nomine apud Palæstinos Antistites denunciatus fuit. Ejus accusatores fuerunt *Heros* Arelatenis, & *Lazarus* Aquensis Episcopi, qui suis Sedibus pulsi in Palæstinam secesserant. Hi duo Episcopi errores ex Pelagii & Cælestii libris collectos in libellum retulerunt, hisque adjecerunt tum illos articulos, quorum causa damnatus fuerat Cælestius a Concilio Carthaginensi, tum etiam illos articulos, quo *Hilarius* Syracusanus laicus ad S. Augustinum miserat, ut legere est in Epistola ejusdem *Hilarii* 156. alias 88. & in Epistola Augustini ad *Hilarium* 157. alias 89. Scriptum idiomate latino libellum obtulerunt hi duo Episcopi *Eulogio* Cæsariensi Episcopo totius Palæstinæ Metropolitanano, sed hujus causæ judicium remissum est ad Synodum Diopolitanam, quæ mensè Decembri ejusdem anni ccccxv. coacta fuit. Huic Synodo interfuerunt quatuordecim Episcopi, sed ab ea abfuerunt *Heros*, & *Lazarus* Episcopi, & *Orosius* Presbyter, ita ut nullus in hac Synodo adesset, qui partes Actoris obiret in Pelagium. Perlectus est libellus, in quo *Heros*, & *Lazarus* Episcopi sententias, seu potius virulenta Pelagii dogmata percripserant, & Interpretis opera usi sunt Judices